



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret  
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De  
Westphalia & Saxonia Inferiori**

**Hamelmann, Hermann**

**Lemgoviae, 1711**

**VD18 11397225**

Illustrissimo Comiti, Celsissimo Domino, Domino Frider. Adolpho, Dei  
gratiâ Comiti Regenti, & Nobiliori Domino Lippiaë, &c. &c. Dynastæ summo  
Vianæ & Amedyæ, Burggrafio hæreditario Ultrajecti, &c. &c. ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

ILLUSTRISSIMO COMITI,  
CELISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
FRIDER. ADOLPHO,

Dei gratiâ

COMITI Regenti,

&

Nobiliori Domino LIPPIÆ,

&c. &c.

Dynastæ summo Vianæ & Ameydæ, Burg-  
grafio hæreditario Ultrajecti, &c. &c.

DOMINO suo CLEMENTISSIMO,



*V*era esse, Illustrissime Comes, Cel-  
sissime ac Clementissime Domine!  
ab Historico quæ nobis Her-  
manno Hamelmanno, aliàs S.S.

a 2

Theo-

Theologiæ Licent. & Lemgovienſium quondam ad D. Mariæ Eccleſiaſte, Oldenburgenſium ultimò Eccleſiarum Præſule, relicta leguntur, perſuaſum mihi habeo certiffimè.

Quamobrem clementiffimè ſicuti licuit, typis ea, optimè ſentiens, divulgare placuit, de novo ut antiqua cum ſole redeat *Veritas*, veraque Gueſtphalorum & patriæ inprimis noſtræ antiquitas.

Benè equidem novi, *Veritatem tutius audiri, quam predicari, & divulgari*; juxta D. Auguſtini, in libro de *Doctrina Chriſtiana*, verba. Aures quippe hominum plerumque ſunt formatae, quæ *vera* ſunt, ut aſpera ſint, nihilque libentius, niſi quod jucundum eſt, pariter ac adulatorium, accipiant. Sic enim primus & princeps mentiendi artifex, Diabolus, Deo in ſcripturâ ſacrâ loquente, Simulator ac Diſſimulator, *Seritatis* hoſtis maximus, turpiter  
aures

aures & animos hominum deformavit, sancta ut mater *Veritas* non rarò abortet odium, quemadmodum contemptum familiaritas, periculum securitas, superbiamque felicitas. Ut verò hocce aliudve evitetur infortunium, ad Te, *Illustrissime Comes, Celsissime ac Clementissime Domine*, summâ quâ decet submissione & fiduciâ confugio, *Tuo* ut conserver *Veritatis* amore. *Deus* noster T. O. M. אלהים אמן, qui *Deus* est *Veritatis* & *fidelitatis*, Esa. LXV. 16. securam sub *Tuâ Manu*, *Tuoque Nomine* hactenus sacro-sanctam suam *Veritatem* in typis meis pullulascere fecit. Nullus dubito, quin & ipse sit factururus, ut hæc politica ex antiquis *Guestphalorum* *Historicis* deprompta *Veritas Hamelmanniana* in *Dei* & *Tui* gloriam, nostræ patriæ splendorem, & salutem proximi floreat. *Veritatis* namque amans, & *Nomen* & *Animus Tuus* meritò dicitur & deprædicatur.

Ex illo enim sanguine *Antiquorum* Germaniæ Heroum Illustrium ortus, penes quos fuit maximum *Veritatis*, Candoris, & Fidei studium; germana Fides, germanus Candor, germana *Veritas*. *Germanus* es *Heros* atque *Comes*. Gloriosum Nomen! Ut *Germanus* proinde amas *Veritatem*; amas & illam ut *Comes* atque *Heros*. Hoc magnum & præcipuum inter splendissima *Tue* Coronæ diademata est ornamentum. Nosti siquidem & observas Regis illius *Alphonsi* effatum: *Veritatem, licet omnibus conveniat, Principum tamen præcipuum esse ornamentum.* (Panormitan. Lib. i. de reb. gest. Alphonsi, Reg. Arrag.) Hôc fretus, *Illustrissime Comes ac Heros, Celsissime ac Clementissime Domine!* flexo submissoque adsum corpore & animo, antiquæ *Tibi* offerens humillimè, & commendans editam hanc Westphalicæ *Historiæ*

*storiæ Veritatem.* Non sum *Demaratus*  
 ille, qui, jussus sententiam de *Xerxis*, Per-  
 farum Monarchæ, copiis dicere, ita præ-  
 fatus est: *Utrâ apud Te, Rex! utar? Ve-*  
*ritatené, an jucunditate?* (verânè an ju-  
 cundâ oratione?) *Videatur* Herodot. Lib.  
 7. pag. vet. Edit. Græc. & Lat. 181. *mibi verò*  
 403. Certus sum, *Illustrissime Comes! Cel-*  
*sisime ac Clementissime Domine!* suavissi-  
 mum quod *Tibi* sit, *Veritatem* audire at-  
 que legere. *Æternam* audis, legis & a-  
 mas *illam*, quam submissa pietate obtuli  
 annos ante aliquot Verbi divini typis  
 meis excusam *Veritatem.* *Antiquam hanc*  
*Historiarum Gæstphalicarum Veritatem,*  
 ut *Numini ac Nomini Tuo* devotissimè à  
 me sacratam, tanquam pietatis submissæ pi-  
 gnus quoque suscipere, legere & audi-  
 re, nec non cum *Illâ* me, meos, meaque  
 officia *Clementiâ Tuâ* conservare ac tueri  
 velis, obsequiosissime oro. Deus insu-  
 per

per. noster unicè *verus* & æternus vi-  
tam *Tibi* longævam, felicitatem Regimi-  
nis continuam, & gloriam *Tui* Nominis  
sempiternam, benignissimè concedat; Id  
quod assiduis opto atque voveo preci-  
bus

*ILLUSTRISSIMÆ ac CELSISSIMÆ*

*EXCELLENTIÆ TUÆ*

Dabam Lemgovix  
Ao. 1710. Calen-  
dis Septembri.

*Humillimus & devotissimus Cliens ac*  
*Servus*

**HENR. WILH. MEYER;**  
Typographus.